nocere possint, aliquid et obesse, hac declaratione media=
te, cavendum et declarandum putavimus. Proinde et
libellum nobilis Michaelis Redvaldi instigatoris nostri,
quo fama civitatis et bona existimatio proscinditur, penitus
rescindimus et abrogamus, libellumque illum in omnibus clau=
sulis et punctis in quibus civitatis honor et dignitas contu=
minatur, inanem et vanum esse pronunciamus per praesentes
et in aeternum Declaratione nostra eum nullo unquam tempore et
loco honori existimationi nocere posse, neque debere. In
cujus rei fidem Sigillum nostrum praesentibus appremi cu=
ravimus. Datum Varsoviae die XXII Julij Anno Domini
MDLXX° Regni vero nostri anno XLI°.

LEGATIO AD SANCTISSIMUM Dominum nostrum Paulum III Pontificem maximum generoso Nicolao Myszkowski data.

PRINCIPIO quum data erit illi potestas in conspectum illius
veniendi, factis ceremonijs consuetis, in hanc sententiam ver=
ba faciet mittis.

Sanctissime et beatissime pater, et Domine, Domine Clementis=
sime, Devotus Vrae S. Filius, Serenissimus Princeps et Dominus
Dominus Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae,
magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc.
Dominus et haeres, Dominus meus Clementissimus, Laeta S. Vrae
et felicia omnia precatur, quo plures annos incolumis tran=
eat, fluctuantem Ecclesiam ad optatum tranquillitatis portum
perducat. Regnorum Christianorum rationes ita constituat,
ut cum ab externis, tum a domesticis insidijs tuta esse queat

Christo